



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De conciuibus, quos crucifixerunt, cùm fugere vellent ad Christianos, cap.
28.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

crabili culpa, post breue tempus valde terribiliter re-
uiuiscere cœpit in vindicta. Nam Damiatianos, vt pe-
na concordaret illatæ iniuriæ, vlcibus percussit in
guttore, sic vt etiam cibaria non possent glutire, pau-
lo p̄st, ciuitatem ipsam inexpugnabilem eis abstulit
sua virtute, ita vt nec vnus in eius vastatione caderet
Christianus. Alia adhuc plura miracula de sacris ima-
ginibus tibi dicere possem, sed vsque ad decimam di-
stinctionem illa referuabo. Hoc etiam scias, quod vs-
que hodie Christus in suis membris crucifigatur, nunc
à Iudæis, nunc à Saracenis, nunc à falsis Christianis.

Mala. 3. Vnde per Malachiam conqueritur, dicens: Si homo
configit Deum, quia vos configitis me. Item, Et me
vos configitis gens tota. Christianos nostris tempo-
ribus à Iudæis esse crucifixos audiui; à Christianis a-
liquem ad literam esse crucifixum nondum audiui,
quosdam à Saracenis nuper fuisse crucifixos intellexi.

CAPVT XXVIII.

SVpradieta Diamata, cùm per obsidionem mul-
tum esset arctata, quidam ex paganis occultè
exeuntes de ciuitate, tum vt Christiani fierent,
tum vt mortem euaderent, ad nostros confugere cœ-
perunt, quos Saraceni insequentes, & comprehen-
dentes, reduxerunt, singulisque crucibus singulos ap-
pendentes, ad cõfusionem Christianorum supra mu-
ros omnes suspenderunt. APOLLONIVS: Quid sentien-
dum est de istis? CÆSARIUS: Si fidem stiebant, & in
fide timore pœnarum non nutabant, haud dubium
quin martyres sint. Non solum ab infidelibus Chri-
stus martyrizatur, sed etiam à malis Christianis per
pauperum injurias quotidie configitur & flagellatur.

CAPVT XXIX.

*Christi
pati in
pauperi-
bus, dum
à diviti-
bus af-
figuntur.*

NON est diu quòd quidam pauper, nescio qua
impellente necessitate, loqui volens Henrico
duci Louanij, qui adhuc superest, presentiam
illius adire tentauit; cui cùm vnus camerariorum in-
dignatus, scapulis eum impelleret, & passim baculo
cederet sine misericordia, Conuersus quidam ordinis
nostri